cellam noviciorum. et iterum probetur in omni patientia;
Et post sex mensium circuitum relegatur ei regula. ut sciat
ad quod ingreditur; Et si adhuc stat; post quattuor
menses iterum legatur ei eadem regula; Et si habita
secum deliberatione promiserit se omnia custodire; et cunc
ta sibi imperata servare; tunc suscipiatur in congrega
tione sciens se lege regulę constitutum quod ei ex illa die
non liceat egredi de monasterio. nec collum excutere de
sub iugo regulę quę sub tam morosa deliberatione licu
it aut excusare aut suscipere; Suscipiendus autem in
oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et con
versione morum suorum. et obedientia coram deo et sanctis eius.
ut si aliquando aliter fecerit. ab eo se damnandum sciat.
quem inridet; De qua promissione sua faciat petitionem
ad nomen sanctorum quorum reliquię ibi sunt. et abbatis praesentis.
Quam petitionem manu sua scribat; Aut certe si non scit
litteras. alter ab eo rogatus scribat. et ille novicius
signum faciat. et manu sua eam super altare ponat;
Quam dum posuerit; incipiat ipse novicius mox hunc
versum; Suscipe me domine secundum eloquium tuum et vivam.
et ne confundas me ab expectatione mea; Quem versum

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.8, 33v – Regula Benedicti
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-iman/5127/48997)